

B.K.  
3691

7. 4. 182

Π m  
523

Q. D. B. V.

NON CHRISTIANVS  
CHRISTIANORVM

FAVOR,

Constantius Chlorus,

publica dissertatione

explanatus,

SVB PRAESIDIO

CONR. SAMVELIS

SCHVRZFLEISCHII,

PROF. PVBL.

a

M. GOTEFRIDO LEISERO,

NAVMBVGENSI,

Ad diem VIII. Kal. Ianuar. A. C. clo lcc cii.

VITEMBERGÆ,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII Viduae.



*Monf. Bied*

12

NON CHRISTIANVS  
CHRISTIANORVM

AVT

Constantius Chlorus

publica distributione

explicans

SVR PRINCIPIO

CONR. SAMV. BILIS

SCHWARZRIESEN

FRON. 1. 1. 1.

8

M. GOTTFRIED. LEIBNIZ

AVT

ADVER. VIT. M. 1. 1. 1.

*Handwritten signature:*  
Konr. B. 15



I.



Constantius Chlorus, Eutropii et  
Claudiae filius, primus familiae  
suae augustam dignitatem intulit,  
et naturali quadam inclinatione  
mitis, atque in Christianos propen-  
sus, a caedibus eorum et in-  
juriis abstinuit, sed nihilominus a  
sacris ipsorum alienus fuit.

II. Genus Constantii dissimiliter tradunt scri-  
ptores et explicant: ab Aeneadis, et gente Dardana  
ultimas origines repetit Trebellius Pollio, cui fidem  
nemo temere denegabit, *in Claudio cap. XIII.* Vbi  
Eutropium vocat *nobilissimum gentis Dardanae vi-  
rum.* Dardanae, id est, Romanae ab Troibus oriun-  
dae, atque ab Aeneadarum stirpe descendens. Dar-  
danus Urbem Dardanam condidit, quae deinceps a  
Troë, eius nepote, Troia dicta est, ut ex Diodoro, Dio-  
nyfio Halicarnassëo, et Eusebio, constat. Ceterum  
de hac origine dubitat Pollio, quum superiori capi-  
tulo tradit, Claudium, a quo genus duxit Constantius,  
ex Dalmatia oriundum, *cap. XI. in Claudio.*

A 2

III. Au-

III. Auctor Excerptorum, quae de Constantio et Constantino M. extant, nuper ab Henrico Valesio editus, seriem Constantiani generis non altius, quam a Claudio, et eius fratre auspiciatus est, atque egregium historiae veteris monumentum, quod non vidit nec legit Iosephus Scaliger, stilo quidem non corruptum, sed locuplete auctoritate praeditum, reliquit. Vbi Constantius nominatur *Divi Claudii nepos ex fratre*, hoc est, planius loquendo, ex fratris filia nepos. Frater generatim dicitur, non suo et proprio nomine appellatur, quem ex Pollione cognoscimus, fuisse Crispum, huiusque filiam nomine Claudiam extitisse Constantii, de quo agimus, matrem, eamque nupsisse Eutropio, summae nobilitatis viro. Claudii pater ignotus est, nec a quoquam traditur, neque in ullo, quod sciam, monumento reperitur. Elias Reusnerus eum nuncupat *gentis Illyricanae virum*, in Genealog. Roman. Haud dubie innuit, fuisse Dalmatam, quandoquidem Dalmatia fuit pars Illyrici veteris, eius speciatim, quod proprium nominatur. Sed dubitans addit, vel e Dalmatia, vel e Dardaniis, oriundum: rectius scripsisset, e Dardani posteris oriundum, ad significandam regiae a Dardano originis dignitatem, ad quam Pollio, illius commemorationis auctor spectat, non ad Dardaniae nationis societatem communitatemque indicandam. Haud recte Virgilius a vulgo interpretum reprehenditur, quod Teucrum praeposuisse Dardano, neque hunc *maximi patris* nomine celebrasset, utpote qui Teucro antiquior fuisset. *Aeneid. III. 107.* Atenim vero Virgilium tuetur Mnaseae

feae auctoritas, cuius fragmentum in Stephano su-  
 perest verum atque incorruptum; ex quo liquet;  
 Teucrum in Phrygia priorem fuisse et antiquiorem;  
 vel hoc etiam argumento, quod primum Teucris;  
 deinde Dardania, tum Troia condita sit, et nomi-  
 nari coeperit. Mnasea recentior est Diodorus Sicu-  
 lus, qui, Teucro omisso, Dardanum tradit primum  
 eius regni conditorem, *biblioth. histor. lib. V.* Sit er-  
 go Teucer primus Phrygiae Rex, cuius filia Batea  
 nupsit Dardano, eiqve regnum illud dotale attulit;  
 quem secuti sunt Erichthonius, Tros, Ilus, Laomedon,  
 Priamus, in quo vetustum hoc Asiae regnum  
 est extinctum. Mirari hic in mentem venit, quam-  
 obrem Reineccius, Teucros neget a Teucro, Dardani  
 focero, fuisse appellatos, in *Syntagm. heroic. part. I.* Erravit  
 Anonymus Periegetes, qui Troiam et Ilium pro  
 duabus et diversis vrbibus habet. Virgilius Iliacam  
 vrbem quadam temporis anticipatione commemo-  
 rat, *Aen. VIII. 134.* Non praetereundus est Iuvenen-  
 tus scriptor, Apollodorus, qui testimonio suo pon-  
 dus affert ad meam sententiam, et cum Mnaseae,  
 quod superat, fragmento consentit, ubi Teucrum Sca-  
 mandri et Idaeae nymphae filium vocat, ab eoqve  
 Teucros appellatos esse confirmat: deinde Bateam  
 Dardano in matrimonium collocasse, atque hoc no-  
 mine in regni partem admisisse, et, Teucro mortuo, u-  
 niversam Phrygiae regionem Dardaniam vocari coe-  
 pisse, scribit, cum antea Teucris diceretur. *Biblioth.  
 lib. III.* Quare in Taubmano non diligentiam, sed  
 accuratorem, cum in Vergilium commentaretur, re-  
 qviro.

IV. Etsi autem Constantius non ex Claudii, sed ex Claudia, Crispi fratris illius filia natus est, tamen nihil prohibet, quo minus propter communem stirpis originem, origo eius a Claudio ducatur, quam loquendi consuetudinem Graeci probant, et Latini recipiunt, poëtae nominatim, quos historici interdum, maxime inclinantis Latii, sequuntur. Iulianus non dubitavit, generis Constantiani primordia referre ad Claudium, quia omnes, quotquot ab eo orti sunt, ab una stirpe descendebant, propagatique erant, ipse etiam Iulianus, quippe eadem familia prognatus, Latinoque scriptori, qui originem generis a Claudio arcessit, suffragatur, ut Iuliani interpretes convertunt. Vox enim, qua utitur, propinquitatem generis designat, et legitur in oratione secunda, quae in laudem Constantii iunioris, qui Chlorigo nepos erat, scripta, cum prima coniungi debet. In ista genus suum a Claudio deducit, in hac Claudium propter fortitudinem laudat, et suos atque Constantii maiores, avos, parentes, fratres, patruos et cognatos, imperatores omnes fuisse, declamatorio, quod a Libanio didicit, scribendi genere tradit, dumque *προγόνους* dicit, ultra Claudium ascendit, et Aeneadas haud dubie imperatores significat: reliqui erant *πάπποι καὶ γονεῖς*. Tum vero Trebellius Pollio Claudium Imperatorem, in serie huius generis patrum magnum pro avo sumit, poetarum quoque veterum et Latinorum exemplo nixus. Eiusdem auctoritate Pollionis castigandi sunt Cedrenus et Zonaras, qui Eutropium, aut potius Eusebium, qui ab Eutropio depromptit, secuti, Constantium Chlorigo

rum

rum Claudii ex filia nepotem nominant. At enim Claudius nullos genuit liberos, nec mares, nec feminas, quod diserte tradit in cap. XIII in quo de Claudio scribit. Forfan occasio secus existimandi inde arrepta est, quod Claudiam Eutropio nuptam, Claudii filiam, errore memoriae decepti, putarunt. Conferendus hic locus est cum illo, qui extat Cap. XIV. in Gallienis duobus; alter enim ab altero lucem mutuatur. Progenies haec est,

Claudius Imp. liberorum expts:	Quintillus, (Eusebio Quintilius) liberos duos pro- creavit, quorum no- mina obscuravit ve- tustas.	Crispus, Constantina, Tribuno ! Assyriorum nupta. Claudia, Eutropii coniux, cete-   rac sorores, quarum nomina ignorantur. Constantius Chlorus.
-----------------------------------	---	--

V. Fuit ergo Chlorus Claudii ex fratris filia nepos, non pronepos, ut censet Rupertus in observationibus ad Besoldum. Non inficior, non proprie locutum esse Auctorem excerptorum, qui nepotem ex fratre, dicit, quomodo multi vulgariter magis, quam accurate, fratris filium vocant. Nihilo proprius Pollio eum dixit a Claudio duxisse originem, quae sine generatione, siquidem proprie et exquisite loquimur, intelligi non potest, scriptores tamen iuvandi, et benigne, quoad fieri potest, exponendi, praesertim hoc loco Trebellius Pollio, qui perquirendo origines Claudii, et pervolvendo Dexippi monumenta, diligentiam, et in reliquis accurationem scribendi approbavit. Eutropii historici errorem excusare non possum, qui Constantium per filiam nepotem Claudii scripsit,  
*lib. IX.*

*lib. IX. c. 14.* Neque eo melius Graecus Eutropii interpres Paeanius, qui eundem κλαυδης τῆς βασιλεύσαντος ἀπὸ θυγατρὸς ἔκγονον commemoravit: nam ἀπὸ θυγατρὸς κρείσπης τῆς ἀδελφῆς ἔκγονον dici oportuisset. Hieronymus Eutropius in errorem induxit, Zonaram Paeanius, Eutropii interpres, cuius totidem verba expressit.

*VI.* Duas uxores habuit, Helenam, ex qua suscepit Constantinum magnum, et Flavianam Maximianam Theodoram, Maximiani Herculii privignam, quam duxit volente, et cogente in primis seniore Augusto Diocletiano, cuius in potestate erat, cum Praefes Dalmatiae esset, et iam mutato statu, Caesar fieret, ac dignitatem ab Augusta proximam, augustae tamen adhuc obnoxiam, consequeretur. Auctor Excerptorum Theodoram nominat Maximiani (Herculii) filiam: Eutropius privignam apertius indicavit, *lib. IX.* *Cum quo congruit Victor Schotti in Diocletiano.* Ex hac nati sunt sex liberi, Constantinus, Hanniballianus (secundum alios Dalmatius) Iulius Constantius, Anastasia, Flavia Valeria Constantia, Eutropia. Filiarum prima nupta est Bassiano Caesari altera Licinio, tertia et ultima an, et cui nupsit, a nemine adhuc est proditum. Legendi sunt *Eutropius in eo, quem praedixi, libro, Auctor Excerptorum Eutropium fere secutus, Chronicon Hieronymianum, Aurelius Victor, sigillatim de Constantiae matrimonio, cum Licinio Mediolani contracto, Zonaras, aliique.* Chlori cognomen a pallore inditum testatur quoque Zonaras, quum tradit, ἐπεκλήθη κλαυρός διὰ τὴν ἀχρότητα: dictus est propter pallorem Chlorus. Vbi eum, quod praeterire nolim, Καν-



*scilicet* scripsit. Nam et aliis *Kωνσταντος* aliquando idem  
 est, qui *Kωνσταντιος* usitato nomine appellatur. In  
 monumentis et marmoribus Helena Augusta legitur,  
 non Augusta Helena, ut vulgus antiquariorum legit.  
 Praeterea Constantinus Magnus, Helenae Augustae  
 filius, Maximus quoque dicitur, quod Ruperto non  
 lectum esse, vix satis mirari possum, quum semel et ite-  
 rum hoc me legere memini: publicae inscriptiones ex-  
 tant, quae huius rei sane quam cumulate mihi faciunt  
 fidem. Haud aliter scriptores historiae Augustae mino-  
 res, Capitolinus et Lampridius, Constantinum Con-  
 stantii F. cognominarunt Maximum: iste in Clodio Al-  
 bino, hic in Alexandro Severo. Testes sunt numi,  
 in quibus incisa leguntur haec verba. **CONSTAN-**  
**MAX. AVG.** in aliis. **CONSTANTINVS MAX.**  
**D. F. AVG.** Generis series haec est.

Flavius Valerius Constantius Chlorus,

1. ux. Helena, post repudiata,   Constantinus M., ux. 1. Minervina.   Crispus	2. ux. Flavia Maximiana Theodora,   Flavia Maximiana, Fausta   Constantia
--	--

---

Constantinus. Constantius. Constantia. Helena.

---

Constantinus Dalmatius, \* Iulius Constantius, Anastasia, Flavia Valeria Eutropia.  
 \* sive Hanniballianus, Constantia,

Zosimus, consentiente Eutropio, recte vocat Faustam  
 Maximiani Herculi filiam, sed male negat, matrem  
 fuisse Constantini iunioris, Constantii et Constantis,

**B** tum

tum non rectius aliam, nomine tamen omisso, sub-  
 fituit, Minervinam, opinor, innuens, *lib. II. c. 39.*  
 Dalmatius, qui et Hanniballianus (non, coniuncte,  
 ut habet Reufnerus) Dalmatius Hanniballianus scri-  
 bitur, cuius meminit Auctor Excerptorum Anony-  
 mus, quem Simon Pauli in minori forma recuden-  
 dum curavit, sed ex eo multa, quae ad huius figilla-  
 tim historiae argumentum non pertinent, detraxit.  
 Graecis est *Ἀναβαλλιανός*. Idem auctor, cuius igno-  
 tum nomen est, Annibalianum nominavit. Sic et  
 Victor Schotti, in libris MS. nunc Anniballianus,  
 nunc Anibalianus legitur. Perinde ut *Ἀνιβάλιος*, in  
 scriptoribus Graecis seqvioribus, speciatim auctore  
 factorum Sicularum. Dalmatii progeniem ita o-  
 stendo.

Dalmatius cognomine Censor (Graeco Romanis *ὁ Κήνωρος*) aliis Dalma-  
 tius, ut legitur apud Victorem.  
 Flavius Iulius Dalmatius Flavius Hanniballianus, Rex gentium  
 us Caesar. Ponticarum,

Priorem fratris sui filium Constantinus M. crea-  
 vit Caesarem: alterum, Constantiana sorore in ma-  
 trimonium collocata, Regem constituit Ponti, et ad-  
 iacentium regionum, Cappadociae et Armeniae mi-  
 noris, ut cognoscere licet ex Auctore Excerptorum,  
 Chronico Siculo, et Epitome Victoris. Ab eodem,  
 cui Excerpta debemus, Auctore traditur Constanti-  
 nus M. in oppido Naifo natus educatusque. Quae  
 sententia verior est, et iure defenditur, ac mihi nunc  
 prorsus placet; quamvis Britannici scriptores dissen-  
 tiant,

tiant, et Constantini M. ortum Britanniae vindican-  
 dum putent. Inter quos facile primas tenet Iaco-  
 bus Vfferius *in Britannicarum Antiquitatum capite*  
*VIII.* In eodem argumento nuper versatus est Mi-  
 chael Alfordus S.I. et in Britannia oculos defixit, et  
 cogitationes suas atque rationes omnes eo retu-  
 lit; ut confirmaret, Britanniam ei fuisse patriam,  
 quae laetis primum auspiciis nascentem excepisset.  
 Sed nulla causa est, cur a sententia me de-  
 duci patiar, quae veteri Excerptorum fragmento  
 continetur. Tantum abest, ut delabi ad coniectu-  
 ras velim, ut quoque monumento, nullius falsitatis  
 suspecto, causam hanc tueri possim. In fastis quidem  
 antiquis, ex Augusta Bibliotheca editis, celebratur *na-*  
*tale Constantini*, sed locus natalis, non ibi, neque facile  
 alibi, si dictum fragmentum excipio, definitur. Auctori  
 huius fragmenti assentiuntur Stephanus Byzantius,  
 quem omnino secutus est Georgius Cedrenus, in Sy-  
 nopsi historiarum, quando Constantii mortem de-  
 scribens tradit, eum ex priori uxore genuisse Con-  
 stantinum, apud urbem Daciae, *περί την τῆς Δακίας πό-*  
*λιν.* Eundem Stephani locum, non dubito amplius,  
 quin Porphyrogenneta ante oculos habuerit, cum scri-  
 beret, Naesum Constantini M. esse patriam, *Ναι-*  
*σός ἡ πατρίς τῆς μεγάλης Κωνσταντίνου.* Puto, non levi con-  
 iectura ductus, ex hoc suppleendum esse Cedrenum,  
 et integre scribendum: *περί Ναισόν την τῆς Δακίας πόλιν.*  
 Fuit sane Constantinus ille in purpura natus Cedre-  
 no antiquior, et auctoritate scribendi potior, et iudi-  
 cio maior. Simul existimo, vulgatos mendososque

Stephani codices omnes esse corrigendos, qui, pro nomine *Δανίας* legunt *Σπόνης*. Si quis nihilominus in vocabulo hoc insistere malit, nec sic quidem de praesidio nos deiciet, propterea quod Constantinianis, ad quae Stephanus propius accessit, temporibus, Dardania, in qua Naïssus sita erat, Thraciae annumerabatur, eiusque adeo pars censebatur.

VII. Itaque non obscura nunc et ignota est Constantini origo, quam alii in Bithynia, alii in Britannia, quidam in Gallia Belgica apud Treviros frustra quaerunt. Nicephorum, aetate recentiorem, et nimis fabulosum, nihil moror, qui Drepani Bithyniae natum tradit. Gvil. Camdenus, et qui eum sequitur, Vsserius, pro origine Britannica contendunt. Dissensit Lipsius, sed expedire non potuit, hoc magis excusandus, quod non vidit fragmentum a Iacobo Sirmondo repertum, atque ab Henrico Valefio editum, in quo locus natalis Constantini M. clarissime designatur. Legit id quidem Vsserius et laudavit, Britannis tamen recentioribus non derogavit fidem. Fateor hos numero vincere, sed robore inferiores sunt, qui Britanniae illum ipsum nascendi honorem habent. Cui sufficiat, quod Constantini pater in Britannia obierit, et sepulturae mandatus fuerit, sigillatim Eboraci, ubi ante eum excessit Septimius Severus, apud Spartianum *in Severo cap. XIX*. Ego, ut semel et iterum dixi, firmum sententiae praesidium pono in testimonio fragmenti veteris, et assensu Graecorum, quos modo enumeravi: his addi, aut velut antiquiorem melius praeponi oportuit Iulium Firmi-

Firmicum, qui locum nativitatis recte consignavit, et Constantinum Maximum, eumque Constantii Chlorig F. Naisi natum prodidit, illorum sane temporum scriptor, quippe qui sub Constantino M. et Constantio eius filio vixit, *Matthes. l. 1. c. 4.*

VIII. Princeps fuit egregius, et propter multas, excellentesque virtutes commemorandus, non faevus, nec moribus a mansuetudine abhorrens, non iniquus in cives, nec Christianis infensus, nunquam tamen Christianorum sacra professus. Ignotus auctor, cuius magna apud me auctoritas est, non id praeteriturus fuisset, si ad Christianorum societatem unquam se adiunxisset. E contrario is docet atque confirmat, *Constantinum Imperatorem primum fuisse Christianum, excepto Philippo, quem ne sic quidem inter Christianos Imperatores retulit, quandoquidem is ad hoc tantum constitutus fuisse ipsi visus est, ut millesimus Romae annus Christo potius, quam idolis dicatur.* De Philippo quae iactantur, dubia et incerta sunt, ut iam pridem admonui: illud inter omnes liquet, Philippum a publica nominis Christiani professione abstinuisse, religionisque eius studium, si quod fuit, occultasse, ut certis de illo indiciis neutiquam constaret, praesertim cum omnes Philippi res a rationibus Christianorum diffident. Pietas Constantii Chlorig passim concelebrata, non Christianum evincit, sed recti iustique amantem declarat. Hac virtute sapientissimi Principis partes absolvit, sed Christianorum sacris non initiatus est, nec filius ab eo Christianam pietatem edoctus est, quemadmodum id ex *Menaeis*

tradunt. *Vsserius in libro supra dicto, cap. VIII.* Nam  
quum acrius in Constantinum eius filium intendo o-  
culos, in principio multas in eolabes et maculas con-  
templor, quas aliquanto post absterfit paulatim et de-  
levit. Supplicavit Iovi, sacrificavit simulacris, im-  
molavit victimas, et litavit Soli et Marti, patri deni-  
que sacra fecit, et superstitione impia defunctus est,  
quae eiusmodi sunt, ut cum doctrina et institutione  
patris, disciplinaque Christiani moris congruere non  
possint. Atqui numos plures, et minime suspectos  
afferre licet, qui fidem dictis faciant, et minimum  
prohent, Constantinum ab initio imperii non fuisse  
Christianum, atque adeo a patre, quod confirman-  
dum erat, non didicisse pietatem Christianam, quae  
alias, et plane contrarias divini cultus rationes prae-  
scriptura fuisset.

IX. Non equidem nescio, Constantium de re  
Christiana bene promeritum, vel hoc etiam argu-  
mento in Christianis Imperatoribus numerari. De-  
fendit Christianos ab iniuriis et damnis, vim absti-  
nuit a domiciliis Deo dicatis, nec sacras aedes suapte  
sponte diruit, diruendaque curavit: nihil acerbius  
consultuit in Christiani ritus cultores, nec caedem,  
neque exitium illis molitus est. Id sine piaculo prae-  
teriri non potest, quod instituendis quoque et instau-  
randis scholis operam Christiano Imperatore dignam  
sumpserit, nomenque immortalitati consecraverit. *Euse-  
sebius histor. eccles. L. VIII. c. 13. Sozomenus lib. I. c. 6. Con-  
sentiunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras, qui virtutes  
Christianas cumulate praedicarunt, atque ipsismet  
Chri-*

Christianis Imperatoribus annumerarunt. Quos aetate  
vo assentationibus corrupto, a turpitudine hac et vi-  
tio exemptos volo, sed in praeconiis nimium effusos  
non inficior, et ipsummet Eusebium in eo laudando  
vix modum tenuisse, animadverto. Rebatur ille, ex  
eo plurimum dignitatis redundare ad filium, si princi-  
pem natura micissimum, religionis Christianae no-  
mine commendaret. *Hist. Eccles. lib. VIII. c. 13. et de  
vita Constantini lib. 1. c. 13. seq. c. 17.* Vbi titulus rei sub-  
iectae non respondet: unum Deum agnovisse ibidem  
dicit, non Christum coluisse. Merito autem pro-  
penso fuit in Christianos animo, a quibus nulla ei il-  
lata fuit iniuria, quos vita et officio tranquillos vidit,  
multos etiam usu et consuetudine sibi coniunctos ha-  
buit, ut vel ea de causa inter hostes Christiani nomi-  
nis referri non posset, qui nunquam hostilem in eos  
animum declaravit, et e vita decessurus, in parte  
gaudii sibi posuit, idque supremis verbis testatus est,  
quod filium relinqueret, qui Christianorum lacry-  
mas abstergere, caediumque finem facere deinceps  
posset, apud Photium in Eclog. CCLVI. Quae con-  
ferenda sunt cum Eusebio, de vita Constant. M. libri  
eiusdem cap. 18. Unde nam vero is, quem Photius  
excerpsit, scriptor acceperit, quod Constantinus a pa-  
tre Constantio sacris Christianorum imbutus fuisset,  
ingenue Photius se nescire profiteretur, *ἐκ οὐδ', ὁθεν ὁ  
συνγραφεὺς μαθὼν συναγραφεὶ.*

X. Theophanes quidem religione Christiana  
praeditum fuisse arbitratus est, sed a Constantii tem-  
poribus remotior fuit, et fidem narrationis praestare

non

non potuit, neque auctorem sententiae commemoravit. Plerique enim scriptores veneratione virtutum adducti, ad Christianorum numerum ascripserunt Constantium, ideo quod favit Christianis, ac benevolentia et mansuetudine plurimos Christianorum superavit. Eusebius interdum amplificando nimius, in uno et altero de vita Constantini capitibus haud obscure ostendit *panegyricum* loquendi morem, quem consequentium temporum scriptores non usquequam reputarunt, neque ab *historico* distinxerunt.

XI. Inter alios, nec spernendos scriptores, Cædrenus tradit, Constantinum principem bonum valde et pium, iisdem artibus filium imbuisse. Nec tamen eum in Christianorum reponit numero: institutio, quam laudat, ad rectas regendi artes commode refertur. Faistorum Sicularum, sive potius Constantinopolitanorum Auctor memorat, Constantinum a Deo edoctum, signoque coelesti monitum percepisse Christianae religionis doctrinam, omisso patre, et penitus excluso. *Edit. Rader. p. 655.* Tum vero ritus non Christiani indicium est consecratio, quae in Divos relatum, a Christianorum coetu disiungit. Hoc enim maxime argumento moveor, ut credam, eum deceffisse Christianae religionis expertem. Eusebii encomia, quae ad religionem pertinent, praefructo consecrationis fundamento, cum pietate Christiana componi non possunt. Illius verba in H. E. libri IIX. capite tertio decimo haec leguntur, *πεῶ-  
τός τε ἐν θεοῖς ἀντροπέετο.* Quibus numi lucem afferunt, et impiae superstitionis signa in imagine tem-  
pli,



pli, arae, aquilae conspicienda praebent. Nullum est clarius, nullum certius vetustae ἀποθέσεως, quod in praesens quaeritur, documentum. Huc respexit autum, Jo Nazarium panegyristen, quum exercitus coelo lapsi, divinitusque missi, Constantino M. militare, opemque ferre, crederentur, *Ducebat bos, credo, Constantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat, divinas expeditiones iam Divus agitabat, In panegyrico, quem Constantino M. dixit.* Iam Divus, inquit, peracto scilicet, consecrationis non Christianae ritu post ἀποθέσιν, quam numi signant. Eo autem vocabulo de industria abstinuit Eusebius, ut Constantino ad ritus Christianos traducto stomachum ne moveret. Verba enim ἀποθέσθαι et ἐνδείξασθαι, recentioribus Graecis Romanis usitata, impietatem redolent, cuius recordatio ingrata invisaeque futura erat filio, iam pridem viam Christianae pietatis ingresso, et disciplina religionis ita exulto, ut inter coetus sacri alumnos, atque inter *Catechumenos*, imposita deinceps manu, referretur. Qua de causa non tantum pius, et Dei amans, sed etiam expressè Christianus, imo etiam Christianissimus, Χριστιανικώτατος, a Theophane, a Graecis Menaeorum scriptoribus, quibus in Vita Constantini *πανηγυρίζων* Eusebius occasionem praebuit, ἱσαπόστολος appellatur. Nec tamen dubitavit *Iacobus Goar* eum cooptare in societatem Christianorum Principum, id quod credidit, auctoritate Eusebii adductus, *innotis ad Theophanem Chronographum p. 549.* Dubitatio Constantini, et perturbato imperii statu, secum luctantis sollicitudo foedi, tyrannorum exitus,

C

et

ac metus infantium, et curae angoresque animi  
fatis comprobant, patrem eius ne firmam qui-  
dem de salutari religione opinionem in animo e-  
ius inferuisse, exempla tamen illius et monita ad pro-  
hibendas a Christianis iniurias eo valuisse, ut signo  
crucis viso, Constantinus Deum Christianis cogni-  
tum cultumque efficaciore quadam inductione ani-  
mi quaereret, et oblata occasione, amplecteretur.  
Locum Eusebii supra excussi fatis: nunc operae pre-  
tium erit existimare de alio eius loco, qui extat *capite*  
*27. 28. seq. c. 32. libri de vita Constantini antea memorati.*

XV. Illud vero exquirendum restat, num optimus in-  
dulgentissimusque Imperator Constantius pro hoste  
Christiani nominis et tyranno habendus, atque in eo-  
rum numerum aggregandus sit, qui in divinae revela-  
tionis libro, septem Regum nomine designantur. *Ap. C.*  
*XIII. 1. et XVII. 7.* De me fateor, non credidisse antea, quen-  
quam tam iniquo fore animo, ut Constantii pietatem  
non dicam oppugnaret, sed quoque in dubium voca-  
ret. Quem enim inscriptiones et monumenta opti-  
mi titulo a pravis, benignissimi a ferocibus, mitissi-  
mi a crudelibus Imperatoribus distingvunt, eum ho-  
stili in Christianos animo praeditum nemo sine ini-  
uria dixerit scripseritque. Nam per id tempus, quo  
Caesar erat, de omnibus, speciatim de Christianis be-  
ne promeritus est, testibus Eusebio, Sozomeno, Opta-  
to. Inscriptio vetus haec est. OPTIMO. BENI-  
GNISSIMOQUE. PRINCIPI. FLAVIO. VALERIO.  
CONSTANTIO. NOB. CAESARI. Erat tamen  
Augustis Imperatoribus veteranis Caesar obnoxius,  
ut

ut tuto illis obfistere non posset, atque eo minus sanguinariis eorum edictis intercedere auderet. Quibus et si subscripsit (neque enim hoc refugere potuit) tamen in provinciis sibi contributis ad effectum adducere noluit; certe in Christianos nihil admisit, quo odium, aut saevitiae indicium patefaceret, etiam cum domiciliorum, quae divini cultus causa, Christiani extruxerant, parietes dirui pateretur. Nam id fieri passus est, *ne dissentire a maiorum praeceptis videretur.* Hanc enim causam his verbis indicavit Laetantius *in libro de mortibus persecutorum, Cap. XV. novissimae et locupletissimae editionis Batavae, quae post Baluzianam, nuper prodiit in lucem.* Imperatoris Augusti dignitatem non ultra biennium et tres menses tenuit, eoque tempore moderationem et mansuetudinem pristinam nihilo secius comprobavit. Hunc laudat Eumenes, et excessisse dolet, qui in Gallia reparavit vrbes, instauravit scholas, submovit hostes, et Galliam Britanniamque pacavit. Mansuetudinis Constantianae praeconium insigne et luculentum legitur apud *Optatum Milevitanum lib. 1.* Quod cum Lactantii testimonio non pugnat, et Constantii erga Christianos benevolentiam confirmat. *Cuius (Constantini M.) pater inter ceteros imperatores persecutionem non exercuit, et ab hoc facinore immunis est Gallia.* Nam edicta crudelitatis plena, et a tyrannis promulgata, non usui probavit, neque executioni dedit, ac rebus factisque mitissimum se ostendit, certe a omni crudelitatis suspicione se manifesto liberavit.

XII. Quamobrem nemini licet esse tam pro-  
iecto

iecto ad obterendas Constantii laudes animo, ut Constantius pro tyranno, et nominis Christiani hoste habeatur, quem sacra civilisque historia crudelitatis, quae lacerat corpora et laniat, prorsus absolvit, quandoquidem pepercit Christianis, et eorum supplicia detestatus est, adeo ut Christiani tantae moderationis et mansuetudinis admiratione ducti, eum inter Christianos referendum putarint. Si ab Eusebio, cuius saepe memini, discessero, locuples erit testis Sozomenus, Constantium non modo abstinuisse a vexatione Christianorum hominum, sed etiam pacem tranquillitatemque divino coetui restituisse, et potestatem quoque sacra libere exercendi permisisse, *Lib. I. c. 6.* Διακοιμένων τῶν ἀνά τὴν ἄλλην οἰκισμένην ἐκκλησιῶν, μόνος Κωνσταντῖος ὁ Κωνσταντῖνῃ πατρὸς ἀδείῳ θρησκείῃ συνεχώρησε τοῖς Χριστιανοῖς. Dicit τὴν ἄλλην οἰκισμένην, scilicet eam orbis Romani partem, quae orientem spectat, *μάλιστα τὴν ἀνατολικήν, ἢ ὅλην δυτικὴν*, non totam, quae ad occidentem vergit, ut speciatim Gallia, Belgium et Britannia excipiantur. Quae verba solis luce clariora sunt, nec dubitare nos sinunt, Constantium provinciis, quae ei regendae obrigerant, magna cum moderationis mansuetudinisque laude, facta religionis sine metu exercendae potestate, aequo et iusto imperio tenuisse.

XIII. Quamobrem nihil causae fuit doctissimo Galliae praefuli, *Iacobo Benigno Bossuet*, cur principem mitissimi ingenii, et rectissimi moris Constantium, ab indignis Christianorum suppliciis alienissimum,

num, inter capitales Christianorum hostes referret, et divini scriptoris, septem Reges, five tyrannos enumerantis, verba quoque ad Constantium accommodaret. Arbitratur enim septem Reges, five Imperatores a Ioanne designatos, extitisse sequentes, Diocletianum, Maximianum Herculium, Constantium Chlorum, Galerium Maximianum, Maxentium, Maximinum et Licinium. *In explicatione cap. Apocalyps. XIII. p. 140.* In novissima, ceteroquin optima et luculentissima editione per *Editoris* incuriam omissus est Maximinus *p. 122.* Omnes hi, si Constantium demas, vexarunt Christianos, vehementerque afflixerunt, etiam Licinius, quamvis Christi sacra professus credatur ad tempus, et Constantini M. per sororis connubium affinis, id quod ex Eutropio et Zosimo constat.

XIV. At multum abest, quo minus tyrannorum numero habeatur Constantius, propterea quod Gallias moderate rexit, et benigne humaniterque tractavit Christianos, Galliam Britanniamque incolentes. Eusebius aperuit sententiam, et nomen Constantii a crudelitate vindicavit. Quum scribit, eum pios Christianos, ditioni imperioque ipsius subiectos, a damno integros servasse tutosque praestitisse, nec domos sacras vastasse, aut diruisse. τὰς οὐκ αὐτὸν θεοσεβείας, ἀβλαβεῖς καὶ ἀνεπηρέαστους φυλάξας, καὶ μὴ τῶν ἐκκλησιῶν τὰς οἰκίας καθελόν, μηδ' ἕτερον τι κατ' ἡμῶν (Χριστιανῶν) καὶ κερρήσας. *H. E. lib. VIII. c. 13.* Prior Eusebio Lactantius, qui in Gallia aliquandiu vixit, et Crispo

Constantii nepoti a studiis fuit, et illius Imperatoris, res gestas praeclare cognitae habuit, non modo nihil de eius in Christianos odio et acerbitate commemoravit, sed quoque a templis Christianorum diruendis abhorruisse, parietes tantum, qui facile reparari possent, diruendos permisisse, ut ne Diocletianum offenderet, atque in se concitaret, qui eum adoptaverat, non religione, sed animo dissimilem, et mansuetudine inprimis mitique ingenio dissidentem, non tamen publice, nedum turbulente repugnantem, sed quaedam prudenter, quae statum religionis Christianae non everterent, tolerantem, et meliorem, quae deinceps consecuta est, occasionem restituendae coetibus Christianorum tranquillitatis expectantem. Lactantii, quem laudavi, librum, quem non legit Baronius, neque dictum Eusebii locum recte expendit. Nullus enim dubito, quin aliter de Gallis illorum temporum sensisset purpuratus et scripisset, quas, regente Gallias Constantio, sanguine martyrum exundasse tradit. *Annal. tom. II. A quo recte dissentiunt Antonius Pagius, et Henricus Dodwellus, iste in Crit. Baron. an. 303. hic in dissert. Cyprian. XI. vere scribit, nihil Christianos esse passos auctore Constantio, etiamsi aliud aliis videatur, quibus omnino adversatur Eusebius, et auctoritate sua facit, ut quoque hac in causa merito a Stephano Baluzio V. C. discessionem faciamus.*

XV. Quemadmodum vero Constantius Galliam religionis causa non afflixit, sic beneficiis quoque sibi conciliavit Britanniam, quippe quam ex servitute in libertatem vindicavit, et Christianorum sacra

cra non oppugnavit, nedum oppressit. Quam in  
sententiam legendus est *panegyricus Maximiano et Con-  
stantino dictus, et praeter hunc scriptores Ecclesiastici, illi  
maxime, qui de antiquitatibus Britannicis sunt commen-  
tati, quorum aliqui, et inter hos Rossus Varvicensis, se-  
dem antiqui Eboracensis sacerdotii a Constantino conditam  
ibi collocatamque putant, quibus omnia, quae ad veram  
Constantii historiam pertinent, adversantur, et illa etiam,  
quae ex Eutropii breviario, et Hieronymi Chronico non  
longius petita colliguntur.*

XVI. Qua in re causaque nihil dissimulo, et as-  
sumo libens atque concedo, Constantium inter et  
Maximianum Herculum summam fuisse concordiam  
et benevolentiam, tum utriusque, maximam erga  
Diocletianum extitisse observantiam, pietatis no-  
mine declaratam, cuius in oratione superius laudata  
meminit Iulianus, ab eius familia prognatus, et re-  
rum, illo tempore gestarum, oppido peritus. Quae  
mutua inter eos amicitia connubiorum necessitudi-  
ne firmata, atque in eorum liberis corroborata, non  
eo valet, ut concordia haec ad societatem crudelitatis,  
perfidiae, et odii in Christianos trahatur. Nam acer-  
bitate ingenii, libidine animi, saevitia imperandi,  
et cupiditate nocendi Christianis, eosque evertendi,  
dissimilimas agendi et expediendi rationes usquequa-  
que habuerunt. Nec tantum is saevitia exaequavit Dio-  
cletianum, sed etiam superavit asperitate moris, et im-  
manitate, quod ipse Diocletianus apud Flavium Vopi-  
scum aperte testatus est in cap. XLIII. in Aureliano.

Nec

AK Tn 523

X 2380397

Nec melior isto fuit Maximianus Galerius, Armen-  
 tarii cognomine appellatus, Herculi affinis, qui ad-  
 optavit Maximinum, omnium Christiani nominis  
 hostium crudelissimum, ut ex Lactantio, gravissimo  
 illorum temporum scriptore patet. Perperam scri-  
 bitur Maximianus, quod Victor et Eutropius docent.  
 Maximini enim nomen ei a Galerio Maximiano af-  
 fine, tanquam patre adoptivo, inditium est, quod in  
 codicibus retinendum, aut si temporum iniuria ex-  
 cidit, restituendum. Idem illud depravatae scriptu-  
 rae mendum inquinavit titulos legum, quibus inter-  
 dum praescripti sunt Augusti et Caesares, qui tempo-  
 rum ratione coniungi non debent. Exemplum mihi  
 praebeet *lex 7. C. Qui admitti ad honor. possess. possunt.*  
 Nomina *Constantii (Chlori) et Maximiani* (nempe Ga-  
 lerii) *Augustorum*, recte se habent. *Severi* autem et *Maxi-  
 miani Nobilissimorum Caesarum* animadversionem me-  
 rentur. Nullus enim per id tempus fuit Caesar Ma-  
 ximianus, sed Maximinus, quando certum habeo, Se-  
 verum et Maximinum simul creatos esse Caesares, et  
 congruere temporum intervallis. Non dicam  
 de aliis, nec minoribus erratis, quibus tituli Codicis  
 scatent, et remedia in posterum ab humaniori iuris-  
 prudentia, quae fastorum adiumentis nititur, expe-  
 ctant. Quamquam nec fasti Graecorum, ne Theonis  
 quidem, nuper a Dodvello editi, sunt mendii huius,  
 vitio librorum expertes. Tantum est momenti  
 in historia, veritatis magistra, quae in temporum  
 doctrina oculum quasi et rerum gestarum  
 lumen habet.

F I N I S.

nc







B.K.  
3697

II n  
523

Q. D. B. V.  
**NON CHRISTIANVS  
CHRISTIANORVM**

FAVOR,  
**Constantius Chlorus,**  
publica dissertazione  
explanatus,

SVB PRAESIDIO  
**CONR. SAMVELIS  
SCHVRZFLEISCHII,**  
PROF. PVBL.

a  
**M. GOTEFRIDO LEISERO,**  
NAVMBVRGENSI,

Ad diem VIII. Kal. Ianuar. A. C. clo lbc cll.

VITEMBERGAE,  
Prelo CHRISTIANI KREVSIGII Viduae.



*Monf. Bied*

12